BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tinus est. Porro rex roboam festinus
ascendit currum et fugit in ierusalem.
israel Recessitque israel a domo david usque in
presentem diem. Factum est autem
cum audisset omnis israel quod reversus
esset ieroboam: miserunt et vocaverunt
eum congregato cetu et constituerunt
eum regem super omnem israhel.
nec secutus est quisquam domum david
preter tribum iuda solam. Venit
autem roboam in ierusalem et congregavit
universam domum iuda et tribum
beniamin. c.lxxx. milia electorum
virorum et bellatorum ut pugnarent
contra domum israel et reduceret reg-
num roboam filio salomonis.
Factus est autem sermo domini ad semey-
am virum dei dicens. Loquere
ad roboam filium salomonis
regem iuda et ad omnem domum
iuda et beniamin et reliquos de
populo dicens. Hec dicit dominus.
Non ascendetis nec bellabitis con-
tra fratres vestros filios israel. Revertatur
vir in domum suam. A me enim
factum est verbum hoc. Audierunt ergo
sermonem domini et reversi sunt de iti-
nere sicut preceperat eis dominus.
Edificavit autem ieroboam sy-
chem in monte effraym et habitavit
ibi. Et egressus inde edificavit pha-
nuel. Dixitque ieroboam in corde
suo. Nunc revertetur regnum ad do-
mum david si ascenderit populus
iste ut faciat sacrificia in domo
domini in ierusalem et convertetur cor populi
huius ad dominum suum roboam regem
iuda interficientque me et revertentur
ad eum. Et excogitato consilio fecit
duos vitulos aureos et dixit eis.
Nolite ultra ascendere in ierusalem.
Ecce dii tui israel qui eduxerunt
te de terra egypti. Posuitque unum
in bethel et alterum in dan. Et factum est
verbum hoc israel in peccatum. Ibat autem
populus ad adorandum vitulum usque
in dan. Et fecit fana in excelsis et
sacerdotes de extremis populis qui non
erant de filiis levi. Constituitque di-
em sollempnem in mense octavo.
quinta decima die mensis ad similitudinem
sollempnitatis que celebratur in
iuda. Et ascendens altare similiter
fecit in bethel ut immolaret vitulis
quos fabricatus fuerat. Constituitque
in bethel sacerdotes excelsorum que fecerat.
et ascendit super altare quod extrux-
erat in bethel quinta decima die mensis
octavi. quem finxerat in corde suo.
et fecit sollempnitatem filiis israel.
Et ascendit super altare ut adoleret
ET ecce **XIII.** incensum
vir dei venit de iuda in ser-
mone domini in bethel ieroboam
stante super altare et thus iaciente.
Et exclamavit contra altare in ser-
mone domini et ait. Altare altare.
hec dicit dominus. Ecce filius nascetur
domui david iosias nomine et immo-
labit super te sacerdotes excelsorum qui
nunc in te thura succendunt et ossa
hominum incendet super te. Deditque
in die illa signum dicens. Hoc erit
signum quod locutus est dominus. Ecce
altare scindetur et effundetur cinis qui
in eo est. Cumque audisset rex sermonem
hominis dei quem inclamaverat
contra altare in bethel extendit ma-
num suam de altari dicens. Ap-
prehendite eum. Et exaruit manus eius
quam extendebat contra eum nec valu-
it eam retrahere ad se. Altare quoque
scissum est et effusus est cinis de alta-
ri iuxta signum quod predixerat vir dei
in sermone domini. Et ait rex ad
virum dei. Deprecare faciem domini dei
tui et ora pro me ut restituatur manus
mea mihi. Oravitque vir dei faciem domini
et reversa est manus regis ad eum et
facta est sicut prius fuerat. Locutus est autem
rex ad virum dei. Veni mecum
domum ut prandeas et dabo tibi mu-